

www.e-rara.ch

Joachimi Langii Colloquiorum latinorum decuria decem

Lang, Joachim

Sangalli, 1768

Kantonsbibliothek Vadiana

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-104292>

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.


e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



SL.

J 1813

Geßau
aus dem Regimentsdepot
des Gymnasiums.

1874
MAY 10 1874
MAY 10 1874



JOACHIMI LANGII
COLLOQUIORUM
LATINORUM
DECURIAE
DECEM

IN USUM
JUVENTUTIS SCHOLASTICAE
GYMNASII
SANGALLENSIS
IMPRESSÆ.



SANGALLI.

Typis Leonhardi Dieth Viduae.

1768.

DECURIA

PRIMA.

DE

REBUS MATUTINIS.

JOACHIMUS & CHRISTIANUS.

I. De Salutatione.

J. Salve, mi Christiane! **C.** Ago gratias: tu quod que saluus sis, Joachime! **J.** Non est, quod agas. **C.** Cur ergo salutas? **J.** Cur tu resalutas? **C.** Ex usu & vulgari consuetudine? **J.** Quid consuetudo? animum requirit salutatio. **C.** Qualem vero? **J.** Meliorem tuo, hoc est, sincerum, qui quæ agit, ex affectu agat, non ex sola consuetudine. **C.** Verum est: erravi & agnosco errorem meum. **J.** Recte quidem: nam *erroris agnitio est dimidia emendatio.*

II. De surgendi tempore.

J. Heus, heus! Christiane! expergiscere, tempus instat eundi in scholam: audisne? **C.** Non audio. **J.** Ubi ergo habes aures? **C.** In lecto ac somno. **J.** Quid loqueris? inepte! **C.** Non ineptio, sed dormio. **J.** Ineptis sane ac argutaris vigilans de somno. **C.** Certe dormio, si non auribus, tamen oculis, imo & animo. Saltem dormire volo. **J.** Nunc autem non est tempus dormiendi, sed surgendi. **C.** Mitte me, qui fessus sum: quid me turbas? **J.** Non te mitto, nisi nidum reliqueris calefactum; nam audita est

est hora septima. C. Septima? surgam. J. Imo surge. Nam *aurora musis amica*, imo *aurea est*.

III. Aliud ejusdem argumenti.

J. Surgamus, Christiane! surgamus! C. Bene mones, Joachime! surgam. J. Utinam ad votum Apostoli Pauli! C. Quale illud est? J. Ut *evigilemus spiritu*, & *surgamus e lecto*, *somnoque peccatorum*. C. Memini adhuc, quod heri in schola hac de re audiivi. J. *Meminisse laudabile est*, sed *præstare laudabilius*. C. Præstabimus ergo. J. Utique, sed juvante DEO; quippe qui dixit: *Sine me nihil potestis, nihil valetis*.

IV. De induendis vestibus.

J. Quid stas, cessator! indue te? C. Non habeo tunicam meam. J. Ubinam eam heri reposuisti? C. Nescio. J. Male quidem: id enim scire debebas: meam ubi colloco, ibi invenio. C. Nec meam arbitror furto esse ablatam: inveniam, quod amissum est. J. Sed ubi? nonne sub scamno aut sub fornace? C. Quid tum? sufficit invenire. J. Non sufficit: *certus ac conveniens locus debetur vestibus*. C. Ecce, hic est tunica mea, ibi sunt calcei, illic tibialia. J. Arrippe, indue, propera, non habet mora locum: statim accedet mater aut ancilla, quæ pectat capillos, primum raro, deinde denso pectine.

V. Aliud ejusdem argumenti.

J. Tenesne dicta sacra, quæ hodie recitanda sunt? C. Quænam? J. O te obliviosum! nonne recordaris monitum præceptoris? C. Quale?

non recorder. *J.* Ergo recitabo tibi, & quidem prius : Quotquot baptizati, seu sacro baptismo Christo consecrati estis, Christum induistis. Posteriorius : Induite novum hominem, qui &c. sed reliqua nondum teneo, discam autem statim. *C.* Discam & ego. *J.* Utinam vero ad vptum præceptoris, immo Pauli ac ipsius Dei ! *C.* Quorsum illud ? *J.* Ut de induendo Christo serio cogitemus, quoties vestes induimus corpori. *C.* Cogitabimus sane. *J.* Sed serio & sincere. Certe stola iustitiæ, quam Christus donat animæ, nihil est decentius, nihil nobilius.

VI. Aliud ejusdem materiæ.

J. Quando vides aut induis vestes, quid meministi præterea ? Christiane ! *C.* Nihil meministi. Ita ne es immemor hesternæ lectionis ? *C.* Cujus ? *J.* Sacræ, quam tractavimus in Catechismo de *Imagine Dei*. *C.* Memini, sed quid hoc ad vestes ? *J.* Permultum, ut audivimus. *C.* Quomodo autem ? *J.* Imago seu conformitas Dei data erat homini pro veste. Unde corpore incedebat nudus, sine pudore & sine incommodo. Nam ornatus animi etiam nudum corpus ornabat. *C.* Sed anne vestes nostræ hodie sunt fatis commodæ ? *J.* Commodæ quidem sunt corpori, cujus nuditatem tegunt ; animum vero non ornant, *C.* Nunc recorder monitum præceptoris, dicentis, vestes esse signa amissæ divinæ imaginis. *J.* Ergo induamus Christum, & in Christo totum virtutum habitum : vestes autem cor-

corporis geramus non ad luxum, sed ad necessitatem.

VII. De Lotione.

J. Indutus sum, Christiane! Ecce paratus sum. *C.* Unum vero tibi adhuc deest. *J.* Nihil certe: dicas velim, quodnam? *C.* Lotio manuum ac faciei, nunquam intermittenda. *J.* Fateor, hanc mihi restare, sed ob defectum aquæ. *C.* Puteus habet satis aquæ. *J.* Ego vero nihil. *C.* Ecce Annam, ancillam, præsto: roga, ut hauriat & nobis afferat, quantum satis est. *J.* Jam affert: hem quantum aquæ! nimium est. *C.* Sed cave, ne vestes conspergas. *J.* Tu vero, ne pelvim subvertas, ut heri, aut mantile superiore parte indecenter fœdes, ut nudius tertius. *C.* Cavebo, & simul os meum aqua colluam.

VIII. Aliud ejusdem materiæ.

J. Cujusnam rei signum est lotio? *C.* Sordium nostrarum. *J.* Sed hæ varix sunt; aliæ corporis, aliæ animæ. *C.* Animum non video, nec sordes ejus cerno. *J.* Ergo cæcus es? *C.* Non cæcutio. *J.* Cæcutis sane mente, & ipsa hæ cæcitas magna sordium tuarum pars est: habes ergo, quod eluas. *C.* Tune autem jam satis mundus es? *J.* Sum utique sanguine Christi lavatus, sed nihilominus continuæ lotionis indigus. *C.* Quæ subest causa? *J.* Quia tam multe sordes supersunt, & quotidie novæ contrahuntur in mente, non secus ac in facie & manibus. *C.* Quid ergo prodest lavari, si rursus inquinaris? *J.* Permultum sane;

sane: aliud etiam est rursus inquinari delictis levioribus, ex infirmitate commissis, aliud per peccandi propositum & consuetudinem instar *suis lotæ ad volutabrum cæni redire*: Utrumque tamen, præcipue posterius, ut fideliter constanterque caveamus, sacris litteris admonemur. C. Bene mones; regabo Christum, qui discipulos suos lavit, ut me quoque lavet & mundet ab omni peccato,

IX. De Precibus.

J. Adesdum, Christiane! precabimur. C. Jam precatus sum heri & nudius tertius. J. Edisti etiam heri. C. Immo & hodie edam; jam esurio. J. Ergo precare etiam hodie. C. Precabor pro consuetudine nostra. J. Quid pro consuetudine? *ex animo precandum est*. C. Quid vero est ex animo precari? J. Agnoscere mentis suæ sordes, suam egestatem ac miseriam, & in hac agnitione demisse ac ardentem animum allevare ad Deum, omnium bonorum fontem & largitorem. C. Ego vero te videre soleo ore orantem. J. Ore quidem, sed non ore solo, at lingua, animi interprete.

X. De Jentaculo.

J. Profit tibi jentaculum tuum, Christiane! C. Et tibi tuum, mi Joachime! J. Miser ego nullum habeo, & stomachus tamen latrat, poscitque, quo repleatur, si non ex toto, saltem ex parte. C. O me felicem, & te longe feliciorem! J. Sed
esne

esne bonus puer, Christiane! C. Utique sum bonus J. Ergo etiam esto beneficus. *Omnis enim bonus est beneficus.* C. Erga quem? J. Erga egentem, qualis ego nunc quoque sum. C. Commode argumentaris, pro commodo tuo. J. Tu vero adde pondus argumento meo, & felicitatis tuæ fac me participem. C. Ecce tibi partem dimidiam, præter unum, alterumque bolum. J. Gratias ago, Christiane! & quidem pro liberalitate tua liberales.

DECURIA SECUNDA.

DE

RE SCHOLASTICA.

POLYCARPUS & NATHANAEL.

I. De adventu condiscipuli.

P Salve, Nathanael! N. Ago gratias, Polycarpe! unde venis? P. Ex ædibus patris mei. N. Quid affers? P. Me ipsum: venio missus in scholam vestram. N. Hospes ac condiscipulus noster eris gratissimus. P. Agnosco tuum erga me amorem, & laudo. N. Venisne instructus libris? P. Nullis ut vides. N. Ergo es miles sine armis. P. Non pugnabo, sed discam. N. Imo *facilius est, edere sine orbe ac cultro, quam*
discere

discere sine libro. P. Quod nondum habeo, comparabo. Interea mihi ediffere, quid tracteris in schola vestra? N. Edifferam, attende. P. Ut vis, attendo.

II. De lectionum initiis.

P. Ecquod est lectionum vestrarum initium? N. Sacrum: a Deo enim capessenda sunt rerum omnium primordia, præcipue in studiis. P. Bene facitis, sed narra, quomodo? N. Primum precamur: deinde canimus: post legimus scripturam sacram, interprete præceptore. P. Precari possum, uti & legere, sed canere nondum didici. N. *Ufus est Magister optimus*, qui non solum verba, sed etiam numeros. (Græci melodiam vocant.) sensim docet.

III. De Libris.

P. Quid gestas sub pallio? Nathanael! N. Libros scholasticos. P. Ostende mihi eos. N. Ecce tibi omnes & singulos. P. Hem! quantum fasciculum video! Bibliothecam mihi videris portare. N. Noli mirari multitudinem: sunt tantum septem. P. Dic, quæso, singulorum nomina. N. Primus vocatur *Donatus*; secundus *Vestibulum*; tertius *Orbis pictus*; quartus *Vocabularium*; quintus *Grammatica*; sextus *Tirocinium*; septimus est *liber Colloquiorum*. P. O librorum, imo & impensarum, nimium! sed scientiæ parum. N. Tu vero ubi tuos habes? P. Ecce hic sunt, & quidem in uno omnes: hæc est *Grammatica mea*: hujus parte prima, secunda & ter-

tia

tia continetur *Donatus* : quarta *Syntaxis*, quinta *Copia vocabulorum*, sexta *Poesis* : Appendix sistit *Tirocinium* & *Colloquia* in epitome. *N.* Non erras, quod enim fieri potest per pauca, non debet fieri per plura. Rogabo patrem meum, ut mihi eundem librum emat.

IV. De præparatione ad Lectionem

P. Quid agis? *Nathanael!* *N.* Præparo me ad lectionem instantem. *P.* Ad quam? *N.* Ad pensum, datum in verbis discendis. *P.* Quomodo te præparas? *N.* Discenda lego ac relego, & quidem mente attenta & voce clara. *P.* Siccine procedit istud negotium? *N.* Quid ni? non autem sufficit lectio aut relectio una. sed vel decies, imo vicies ac tricies, repetita. Sic sine molestia sensim proficio ac disco: sequere me, experieris. *P.* Optime mones, sequar consilium tuum.

V. De Lectionis recitatione.

P. Recita mihi lectionem tuam, *Nathanael!* *N.* Tibine, *Polycarpe!* quis te constituit præceptorem meum? *P.* Si recusas in hoc negotio meus esse discipulus, ego tuus ero, & tibi meam recitabo lectionem, ut recitatio coram præceptore deinde sit eo expeditior. *N.* Recita, attendam. *P.* Ita attende, ut mihi hæsitanti aut erranti subservias (*ein- oder zu rechte helfest.*) *N.* Subserviam.

Vl. De attentione.

P. Perge, Nathanael! in exponendo colloquio: præceptor jubet. N. Dic statim, ubi defieris: nam nescio. P. Cur non attendis? N. Cogitabam de prandio. P. O! te negligentem & edacem: vix scholam es ingressus, & jam animum habes in patinis, qui in libris esse debebat. N. Monstra, quæso, monstra lectionis tuæ terminum, ne vapulem. P. *Hac vice monstrabo, sed, si ita perrexeris, te deseram, desertus autem certo vapulabis.*

Vll. De Negligentia.

P. Cur frater tuus fere nunquam tenet lectionem suam? N. Quia est piger & negligens. P. Unde ipsi existit ista negligentia? N. Inter alia e vitio edacitatis, sive voracitatis. P. Rem acu tangis. *Nam plenus venter non studet libenter.* N. Ita sane est: & frater meus pro aviditate sua semper majorem jentaculi partem capit. P. Sed anne accipit? N. Plerumque, quod cupit, capit. Interdum vero ventrem citius replet, quam oculos. P. Rem narras, bono puero indignam.

Vlll. De Diligentia.

P. Cur me adspicis? Nathanael! N. Miror diligentiam tuam. P. Non est, quod mireris: facio, quod debeo; neque id, quantum satis & æquum est. N. Cur vero es tam diligens? P. Quia diligo.

ligo. N. Quid? aut quem diligis? P. Deum & studia; *Deum*, qui laborem nobis commendavit, imo præcepit: *studia*, in quibus præstantissimum est laborandi genus. N. Bene laboras, nec male philosopharis: laudo diligentiam tuam. P. Laudare non sufficit: sequi optimum est. Sin minus, diligentia laudatur & alget.

IX. De garrulitate & ineptiis.

P. Quid garris, Garrule! quid ineptis, inepte! N. Quid ad te? P. Permultum: nam me impedis. N. Hui! diligentiam hujus pueri! P. Hui! negligentiam hujus garruli! N. Utor lingua, quam mihi Deus dedit, P. Num ad garrulitatem? minime! vehementer erras; nec uteris lingua, sed abuteris. Interrogante præceptore linguæ usum exerce: abusum inter lectiones sepone. N. Non male judicas, fateor. P. Injice ergo frenum ori tuo, inprimis cum Deo sit reddenda ratio de unoquoque verbo, non solum turpi, sed etiam inepto & otioso, seu inutili.

X. De missione Scholæ.

P. Quota est hora? Nathanael! N. Cur de hora percontaris? P. Avide expecto missionem e schola, quæ datur hora undecima. N. Vix decima audita est. P. O me miserum! N. Certe miser es, qui literas fastidis. P. Dicamus, sonuisse decimam. N. Nonne te pudet mentiri? num putas falli posse Deum, ac falli debere præceptorem? P. Non mentiar, nec fallam. N. Nec sua.

suaferim tibi. Nosti enim, mendacii crimen
virga vindicari.

DECURIA

TERTIA.

DE

PRANDIO.

JOHANNES & THEOPHILUS.

I. De revocatione a lusu ad prandium.

J Heus! heus! Theophile! **T.** Quid clamas? mi Johannes! **J.** Avoco a lusu ad prandium. **T.** O lætum nuncium! me habes obsequentissimum. **J.** Non ignoro, te libentius ire ad mensam, quam in scholam. **T.** Nec detrectabo in scholam ire. **J.** Siccine scholam habes pro jugo? Jugum enim dicitur detrectari & non detrectari.

II. De præparatione ad mensam.

J. Audisne, Theophile! quid pater interroget? **T.** Quidnam? **J.** Utrum simus parati ad preces, & bene compositi ad mensam. **T.** Hem! nec pexus sum, nec lotus. **J.** Ergo propera.

pera. Est enim inedia periculum in mora. *T.* Malo pecti ac lavari, quam esurire. *J.* Ecce, hic habeo aquam & mantile! *T.* Ubi vero est pecten? *J.* Illic in fenestra. *T.* Statim me videbis paratum. *J.* Sed cave, ne obliviscaris nasum emungere. *T.* Emungam.

III. De consecratione mensæ.

J. Oremus, Theophile! *T.* En! adsum. *J.* Utrum corpore, an animo? *T.* Utroque. *J.* Id audio: sic enim decet hominem, qui constat animo & corpore simul. *T.* Egone, quem puerum aut Theophilum alias vocant, sum homo? *J.* Utique es: da vero operam, ut sis homo Theophilus. *T.* Quid sibi vult hoc nomen? *J.* Significat Dei amantem: talem te nunc præsta in precibus. *T.* Cur vero precamur? *J.* Nescis? ut Deum habeamus in mensa propitium, & verbo ejus appositos cibos consecremus.

IV. De Jusculo.

J. En! quid video? *T.* Quid est, quod vides? *J.* Te ipsum, primum in patina, sed ultimum seu postremum in schola. *T.* Mitte me, ut edam. *J.* Hem! cur os tantopere torques ac re-torques? *T.* Jus, quod tantum calere videbatur, fervet. *J.* Sic dignam luis pœnam nimix aviditatis tuæ. *T.* Disce meo exemplo sapere. *J.* Immo gustabo & sapiam, sed sine læsione oris ac palati. *T.* Ipse ego posthac non edam jusculum,
nisi

nisi orbe exceptum, aut forbillando exploratum. *J.* Sic, quæ nocent, docent.

V. De carne elixa.

J. Quænam caro hæc est, quam vides in patina? *T.* Elixæ. *J.* De hoc non est dubium, nec quæstio: quis enim crudam carnem apponeret? dic cujus sit generis? *T.* Est bubulæ. *J.* Falleris. *T.* Habet tamen speciem bubulæ. *J.* Non habet, nisi in errore oculorum tuorum. *T.* Estne vervecina aut agnina? *J.* Neutra. *T.* Estne suilla aut vitulina? Alterutra. *T.* Sed utra? fortasse suilla? *J.* Erras: est vitulina. *T.* Est grati saporis. *J.* Utique in primis fame condita.

VI De carne assa.

J. Gaudeamus, Theophile! *T.* Quæ subest causa? *J.* Nonne vides in culina assam, veru affixam & ad ignem circumactam? *T.* Video & gaudeo tecum. *J.* En! jam affertur, & imponitur mensæ. *T.* Sed num mihi ac tibi? *J.* Spero quidem, sed non sine metu aliquo. *T.* Unde eum concipis? *J.* Nescis? e molestia, quam matri faceflivimus in culina. Unde vereor, ne irascatur nobis, assam negatura. *T.* Mitte istum metum: jam dudum oblita est. *J.* Brevi experiemur.

VII. De piscibus:

J. Ecce pisces, Theophile, & quidem fritos;
T. Cu-

T. Cujus generis? Sunt ne carpiones, aut perca, aut lucii; J. Lucii. T. Nunc, novi eos. J. Sed quale proverbium heri audivimus de piscibus? T. Mihi non venit in mentem. J. Ergo nec piscis veniet in stomachum tuum. T. Eja, dic mihi. J. *Magis mutus es, quam piscis.* T. Nunc memini: immo succurrit aliud. J. Quale istud est? T. *Piscem natare doces.*

VIII. De caseo & butyro.

J. Quomodo sapit ille caseus? T. Bene, sed saperet melius, si adderetur butyrum. J. Caseum edere una cum butyro divitum est. T. Nos sumus divites. J. Ostende divitias. T. Mea mater ipsa format caseos & conficit butyrum, quantum vult. J. Erras: dicere debebas: quantum potest pro copia lactis. T. Ergo posthac contentus ero alterutro, butyro aut caseo solo. J. Bene facies: nam vix sicco pane digni sumus. T. Indigni sumus, fateor, sed Deus tamen nec indignis negare solet obsonium.

IX. De Potu.

J. Quoties bibere soles in prandio? T. Quoties sitio, seu ad modum sitis. J. Quo potus genere uteris? T. Optimo & maxime parabili. J. Ecquod illud est? T. Aqua. J. Hanc tibi soli serva: non invideo, mihi placet cerevisia. T. Sed quænam? J. *Secundaria, primaria*

ria enim tentat caput & nocet studiis; præterea firim magis irritat, quam restringuit. T. Ego aquam bibere pergo, quippe quæ nec mucet, nec acescit. J. Sed aqua debilitat stomachum. T. Falleris: consuetudo fit altera natura. J. Vinum tamen aqua est melius. T. Adde, & pretiosius, immo non raro multo nocentius. J. Vix crediderim. T. Crede mihi: plures enim pereunt vino, quam aqua. J. In vino tamen, secundum proverbium, est veritas. T. Sed prodita aut violata.

X. De prandii fine.

J. Esne satur? Theophile! T. Nondum, sed statim ero, quando consumsero meum panem butyro illitum. J. Ergo insta dentibus, eosque exerce impigre. T. Quis urget? J. Morum qualitas ac modestia decens. T. Quid illa jubet? J. Ut pueri surgant de mensa primi. T. Præstat sedere, quam ante preces discurrere. J. Datur tertium, seu res in medio posita. T. Quænam illa est? J. Ministrare mensæ, aut parentibus, aliisque honestioribus convivis adhuc prandentibus. T. Bene mones, surgam, ministrabo. J. Sed moribus ad honestatem compositis, & animo, qui se digne parat ad preces.

DECU-

DECURIA

QUARTA.

DE

RE SCHOLASTICA

POMERIDIANA.

ANDREAS & CHRISTOPHORUS.

I. De Scriptione.

A. Eamus in scholam, Christophore! **C.** Nondum est tempus discendi, **A.** Ergo nec ludendi: veni, pædagogus vocat. **C.** En! adsum iturus tecum & scripturus, sed tuo calamo. **A.** Habeo tantum unicum. **C.** O me obliuiofum, qui non solum pennam, sed etiam chartam oblitus sum! **A.** Bono esto animo: chartam tibi commodabo, nec deerit, qui commodet calamum. **C.** Agnosco amorem tuum, Andrea! grato animo. **A.** Sed cave, ne posthac quidquam rerum tuarum obliviscaris. **C.** Cavebo.

II. Aliud ejusdem argumenti.

C. Johannes dedit mihi pennam mutuam, sed quæ respergit chartam atramento. **A.** Porrige mihi illam, mutabo ejus cuspidem aut crenam scalpello, nisi hujus acies fuerit obtusa, **C.** Aptam nunc

nunc esset scribendo, nisi cuspidem haberet nimis tenuem. A. Porrige eam iterum, mox fiet crassior. C. Hem! Hem! facta est duriuseula & nimis crassa. A. Augebo crenam & cuspidem acuam ad minutas litteras.

III. Aliud ejusdem argumenti.

A. Ubi emisisti chartam tuam, Christophore! chartam nullius pretii? C. Tua non est melior. A. Est sane: non enim perfluit, sicut tua, quæ fere omnes literas transmittit, instar emporeticæ, seu bibulæ. C. Sic imposuit mihi Sempronius, mercator. A. Aut potius chartarius seu chartarum confector mercatori. C. Certe poenitet me emtionis meæ, qui non unam atque alteram plagulam, sed integrum emi scapum seu codicem viginti quatuor plagulas continentem.

IV. Aliud ejusdem materiæ.

A. Ubi est regula tua? Christophore! C. Non amplius scribo ad regulam. A. Ergo eam mihi da mutuam. C. Dabo, si mihi dederis parum atramenti. A. Ipse habes atramentum. C. Habeo quidem, sed est decolor, immo nimis spissum. A. Si spissum est, illud aqua dilue, dilutum penna misce. C. Factum est. A. Nunc litteras pingis munde ac eleganter. C. Malo uti atramento scriptorio seu litterario, quam sutorio.

A.

A. Cave, ne subvertas thecam arenariam, aut atramentum, nec amittas thecam calamariam.

V. De recitatione Lectionis.

C. Recita lectionem tuam, Andrea! A. Non dum eam teneo. C. Ergo eam discere: quid cessas? mox enim recitanda erit, & quidem memoriter. A. Memoria mea admodum debilis est, & recusat lecta retinere. C. Erras: nam culpa non est in memoria, sed in animo tuo, qui piger est. A. Tu vero, Christophore! quomodo comprehendis ea memoriter, quæ legis? C. Subinde me excito ad discendi ardorem, & sine ulla defatigatione aut tædio lego, quæ mihi demandata sunt, totiesque attente relego, donec pensum meum sine hæsitacione recitare possim.

VI. De Repetitione.

A. Repetitio est mater studiorum. C. Quis ita dixit? A. Pater meus. C. Num etiam pater te docet domi? A. Utique; præcipue me excitat ad repetitionem eorum, quæ in schola audiui, legi & didici. C. Siccine tibi commendat repetitionem ista sententia, quam proferebas? A. Omnino ita est. C. Jam intelligo mentem tuam. A. Nisi ego domi repetivissem ea, quæ heri didici, jam me præceptor deprehenderet imparatum, sicut te. C. Metuo sane, ne vapulem.

VII. De Disciplina.

C. Vapulavi, Andrea! utinam nulla esset disciplina! A. Jure castigatus es. Nam qui non curat *verba verbera* accipit non immerito. Certe sine disciplina nemo recte discit. Unde nomen forsitan habet a *discendo*. C. Bene mones, discam & bene me geram, ne cogar manum, aut nates, (sit venia verbo,) ferulæ subijcere, aut asini, (qui pigrorum socius est,) simulacrum sustinere, seu portare. A. Prudenter ages.

VIII. De Silentio.

A. Heus! Christophore, rem tibi narrabo lepidam. C. Mitte me, Garrule: Præceptor nobis imposuit silentium. A. Non ignoro: nec clamabimus, nec clara voce loquemur, sed admodum submissa. C. Nec submissa. C. Nec submisso gariendum est. A. Quis audiet? nemo. C. Erras, Deus audit, qui ubique præsens est. A. Silebimus.

IX. De Præceptoris absentia.

A. Præceptor evocatus est, ludamus Condiscipuli! C. Tace, Ludio! sin minus, ludetur in tergo tuo. A. Ecce delatorem! sicine omnia deferenda sunt ad Præceptorem? C. Omnino: is enim vestri observationem mihi injunxit. A. Tibi? quid te curamus? C. Ergo vos virga curabit, mentemque vestram male sanam sanabit.

Quid

Quid? quod statim aderit Præceptor. Interea vero Deum habes præsentissimum.

X. De Testimonio Diligentia.

A. Heri non accepi merendam. C. Quæ erat causa? A. Negatum diligentia testimonium. C. Cur illud tibi negaverat Præceptor? A. Quia in studiis haud fueram diligens. C. Defectus diligentia justa est causa merendæ negandæ. A. Id expertus sum damno meo. C. Sic, quæ nocent, docent; & qui nihil meretur, nullam accipit merendam.

DECURIA

QUINTA.

DE REBUS SACRIS.

JACOBUS & MARTINUS.

I. De Scriptura Sacra.

J. Quis est novus iste liber, in quo tam attente legis, Martine! M. Est scriptura sacra, sive sacer codex. J. Hunc librum nec novi, nec habeo. M. Cares sane egregio thesauro. J. Itane hic liber thesaurus est? M. Est certe, & quidem thesaurus quovis auro præstantior. J. Cur eum habes loco thesauri? M. Quia continet verbum ac voluntatem Dei de nostra salute, in primis

æterna. Unde eam vocare soleo epistolam. J. Qualem? M. Missam ad humanum genus. J. Si tantum est hujus pretium, rogabo patrem meum, ut mihi eundem donet.

II. De Creatione.

J. Quid legis? Martine! M. Historiam creationis. J. Quis est creator? M. Deus omnipotens. J. Quid creavit? M. Mundum universum. J. Quomodo? M. Ex nihilo, per infinitam suam potentiam. J. Quando? M. In principio omnis temporis creavit omnia, eaque sex dierum spatio digessit atque exornavit quam sapientissime. J. Quem in finem? M. Ut manifestaret suam potentiam, bonitatem ac sapientiam.

III. Aliud ejusdem argumenti.

J. Quænam est (res) nobilissima rerum creaturarum? M. Angelus ac homo. J. Quid est angelus? M. Spiritus. J. Quid est spiritus? M. Qui non habet corpus: ipsam vero angelorum naturam non intelligo. J. Quid ad nos angeli? M. Permultum sane! J. Quamobrem? M. Dati enim sunt nobis, ut præsides, custodes ac comites. J. Ubi hæc audivisti? M. Audivi sæpe in templo, & legi in sacris literis. Lege easdem, sic plura cognosces de angelis. J. Sequar consilium tuum,

IV. Aliud

IV. Aliud ejusdem argumenti.

J. De homine autem quid mihi narras. Martine! M. Narra tibi ipse, quia ipse homo es. J. Cur me vocas hominem? Ego sum Jacobus, aut, si mavis, puer. M. Etiam pueri sunt homines. J. Cur? M. Quia constant corpore & anima immortalis, ut vides. J. Corpus video animam non video.

V. Aliud ejusdem materiæ.

J. Monstra mihi animam tuam, Martine! M. Monstro te tibi ipsi. J. Me equidem video, immo tango, sed animam meam tangere non possum. M. Anima nostra est spiritus, ideoque nec videri, nec tangi potest. J. Fortasse eam plane non habemus. M. Habemus utique, eamque intra nos deprehendimus. J. Quomodo? M. Nonne nos movet atque animat? nonne sola anima est, quæ in te cogitat, intelligit, judicat, desiderat atque amat? J. Jam percipio in me vim animæ. M. Immo ne loqui quidem posses sine animâ.

VI. De morte.

M. Cur fles? Jacobe! J. Quia soror mea mortua est. M. Doleo, & tecum lugeo. Sed ubi nunc est? J. Mortua est, ut audivisti. M. Itane plane periit? J. Corpus quidem video, sed exsangue & vitæ expers. M. Nunc vides, quid corpus

fit sine anima. J. Video, sed, ubi anima sororis meæ sit, nescio. M. Fuitne soror pia? J. Fuit sane. M. Ergo ejus anima est in coelo, in sede beatorum.

VII. De reditu in vitam.

J. Cras non potero venire in scholam. M. Quamobrem? J. Sepelietur soror mea. M. Video te nunc hilarem: cur non amplius luges? J. Quia audivi, eam aliquando excitatum iri, & redituram esse in vitam. M. Quando? J. Die hujus mundi extremo. M. Interea tamen mortem meditabimur. J. Bene mones: nam etiam nos mortales sumus.

VIII. De extremo Judicio.

J. Cur ita contremescis? Martine! M. Fulgurat & mox tonabit. J. Meminerimus judicii extremi: ubi Deus inter fulgura ac horrenda tonitrua nos citabit ad tribunal suum. M. Quem in finem? J. Ut ipsi tanquam supremo Judici, rationem reddamus vitæ nostræ. M. Simulabo me fuisse pium. J. Pudeat te simulationis tuæ, impudens simulator! num putas, fieri posse, ut Deum fallas? M. Agnosco errorem meum, & me errasse, fateor. J. Non solum errorem, sed etiam malitiam tuam agnosce, & exue.

IX. De vita ac morte æterna.

J. Eheu! migravit hinc Christophorus, amicus

cus noster. M. Quorsum? J. Ad vitam æternam, depositis corporis exuviis. M. Quando? J. Hodie circa horam septimam maturinam. M. Heu! optimum Christophorum! J. Recte eum vocas optimum. Nam Christum ferebat in animo, ut nomen ejus indicabat. M. Ergo nec dubito, eum frui vita æterna. J. Nec est, quod dubites. Pii enim moriuntur beate, sed impii post hanc vitam subeunt mortem æternam.

X. De desiderio rerum cœlestium.

J. Sequamur Christophorum. Martine! M. Non possum. J. Quidni? M. Dic, quomodo? & quorsum? J. n cœlum per sancta vitæ cœlestis desideria. M. Eum tamen non assequemur, nec reducemus in hanc vitam, aut has terras. J. Neque id tentabimus; sed per sancta suspiria abducemus animum ab hujus mundi vanitatibus, ut paratus sit ad beatam mortem. M. Nescio, quando moriturus sum. J. Ideo observare debemus dies singulos, quia nos latet unus. M. Videris mihi esse sapiens. J. Da operam, ut etiam ipse sapias. Nam mortem salutariter meditari, est sapere.

DECURIA

SEXTA.

DE VIRTUTIBUS.

PAULUS & ARETOPHILUS.

I. De nomine Aretophili.

P Salve ! mi Aretophile. **A** Ago gratias, tu quoque salvus sis. Paule ! **P.** O ! quam præclarum habes nomen, Aretophile ! **A.** Quænam est nominis mei præstantia ? vel quid significat ? **P** Virtutis studiosum seu amatorem. **A.** Quid est virtus ? **P.** Audio, *nomen virtutis tantum geris, ipsa quid valeat, nescis*, quemadmodum de te & tui similibus loquitur Cicero : qui tamen nec ipse ejus vim intellexit. **A** Ergo me doceam. **P.** Age, docebo te pluribus.

II. De auctore seu fonte virtutum.

A. Unde est aut oritur virtus ? carissime Paule ! **P.** A Deo, summo ac perfectissimo bono, ut omnium bonorum auctore, ita etiam virtutum fonte inexhausto. **A.** Quomodo haurimus ex hoc fonte ? **P** Per preces, animo Dei dona in se derivante, ac sincero ; qui etiam ipse Dei donum est. **A.** Ergo, ut intelligo, extra communionem cum Deo nulla est virtus, nullum virtutis exercitium ? **P.** Recte intelligis : incipis jam sapere per Dei gratiam,

III. De

III. De Sapientia.

A. Quid vero est sapere? P. Spiritu Dei ita illuminari, ut gustum percipiamus in virtutibus ac in communione cum agnito Deo. A. Quid præterea? P. Nihil. Num quid præter Deum & illuminatæ mentis virtutes requiris? A. Non requiro quidem; sed tamen scire aveo, an omnes homines sapiant? P. Paucissimi hominum possident sapientiam. A. Quæ subest ratio? P. Quia Deum non timent: nam *timor Dei est sapientiæ initium*.

IV. De timore Dei.

A. Quidnam est *timor Dei*? P. Jam audivisti: *sapientiæ initium*: immo *virtutum omnium complexus*. A. Hæc nondum satis intelligo. P. Ergo tibi declarabo. A. Expecto declarationem tuam avide. P. Qui Deum recte timet, is eum vere agnoscit, reverenter amat & ejus iussa exsequitur; atque ita voluntati ejus fit conformis. A. Ut audio, ardua res est *timor Dei*.

V. De amore Dei.

A. Quid est amor Dei? P. Est fructus spiritus ac fidei. A. Quid continet? P. Affectum animi sincerum, qui semper versatur in actione virtutis: hoc est, homo Deum amans, lubenti animo omnia Christianismi officia peragit. A. Talem affectum seu animi habitum mihi opto. P. Deus det eum utrique nostrum!

VI. De

VI. De tribus virtutibus primariis Juventutis.

A. Tres sunt virtutes, quæ præ reliquis, ut adivi, ornant juvenem. Nostine eas? Paule! P. Non novi eas, scire tamen velim. A. Prima est *obedientia*. P. Hanc bene novi. A. Fortasse de nomine tantum. P. Quidnam præstat obedientia? A. Frangit animi pertinaciam, & pueros reddit in omnibus morigeros. P. O præclaram virtutem, meoque fratri inobsequenti illi, admodum necessariam! A. Adde: & mihi ipsi. P. Cur non potius utrique nostrum? A. Invocabimus Deum, ut nobis largiatur animum obsequentem. P. Bene mones: sed ira a nobis invocandus est Deus, ut largienti, aut largituro animum patentem permittamus, seu offeramus.

VII. De amore veri.

A. Quænam est secunda virtus, pueros præ reliquis ornans? P. *Amor veri*. A. Quid efficit ille? P. Arcet mentiendi libidinem, mentemque reddit serenam ac sinceram. A. Studebimus huic virtuti. A. Audivi enim, mendacium esse ex diabolo. P. Recte audivisti. Nam diabolus est spiritus mendacissimus & pater mendaciorum. A. O quam multos filios habet hic pater! P. Non nego, nec possum negare, quia reclamat experientia, testis hujus rei locuples.

A. Vita

A. Vitabimus hoc vitium, ut etiam ejus auctorem, satanam, vitemus. *P.* Sed cave, mi Paulle, ne mentiaris hac tua promissione. *A.* Non mentiar, quæ Dei erit gratia, memor dicti Paulini: *Deposito mendacio, loquimini verum.* Eph. IV. 25.

VIII. De diligentia.

A. Restat tertia virtus ex iis, quarum studium pueris commendatissimum esse debet. *P.* Hanc facile conjectura assequar. *A.* Ergo conjecta. *P.* Nonne est *diligentia*? *A.* Est: Rem acu tetigisti. *P.* Nec mirum est, quia ego sum diligens. *A.* Sed propria laus sordet. *P.* Ergone mentiar, & discedam a commendato amore veri? *A.* Nequaquam. *P.* Mendax tamen essem, si dicerem, me ignavum esse. *A.* Aliud est ignaviam suam allegare, aliud diligentiam jactare. *P.* Non sum jactator, sed tantum testis diligentiae meae. *A.* At nescis, testem non valere in causa propria?

IX. De virtutum exemplari perfectissimo.

P. Equis est optimus virtutum omnium magister? *A.* Christus Jesus, Servator noster. *P.* Quam ob causam? *A.* Quia perfectissime ipse praestitit, quod perfecte docuit. *P.* Ergone Solus Christus erit imitandus? *A.* Omnino, ita tamen,

tamen, ut eos quoque æmulemur, qui etiam ipsi Christum vere imitantur. P. Utinam omnis vitæ nostræ actio sit Christi imitatio.

X. De oppositis vitiis.

P. Quid est vitium, Aretophile? A. Est morbus, immo pestis animi. P. Quomodo pellitur hic morbus? A. Per studium virtutum: nam qui virtutem induit, vitia exuit; qui virtutes amat, vitia odit. P. Quodnam vero vitium est juventuti nocentissimum? A. Philautia. P. Ergo huic morbo per Dei gratiam medebimur.

DECURIA SEPTIMA. DE REBUS VARIIS.

VALENTINUS & HERMANNUS.

I. De Horto.

V. Unde venis? Hermanne! H. Ex horto. V. Quid inde affers? H. Flores varios. V. Immo fasciculum florum odoratum, ut video quis eo te donavit? H. Hortulanus, vir probus & mei amantissimus. V. Sed cur non affers pruna, imo mala & pira? H. Pruna jam comedi: sed

sed reliqua poma nondum maturuerunt. V. De floribus vero numquid cogitas? H. Quidnam? V. Nos sumus instar florum, adeo, ut aliquando de nobis ipsis cum Poeta dicere possimus: *Nos quoque floruius, sed flos fuit ille caducus.*

II. De agro & messe.

V. Quo tendis, Hermanne? H. Eo rus in agrum nostrum, ubi sunt messorum nostri, nostræque ancillæ. V. Quid ibi peragunt? H. Messorum metunt fruges, quas deinde ancillæ colligunt tomicibus: collectas vocamus mergites seu manipulos. V. Jam memini egregiam sententiam. H. Profer eam. V. *Ult sementem feceris, ita & metes.* H. Sed sæpe pro benefactis malam messem metimus, ut iudem in proverbio est.

III. De frigore & igne.

V. Cur non scribis, Hermanne? H. Digiti mei rigent frigore; nec est ignis in fornace, unde museum calefiat. V. Age, excitabimus ignem folle. H. Follis adest, sed lignum deest. V. Ecce lignum! hic est. H. Novi, sed est humidum: arido opus est. V. Cur non sufficit humidum? H. Quia igni admotum nil nisi fumum producit: fumus vero infestat oculos.

IV. De Pluvia.

V. Cur venies tam sero in scholam? H. Tempestas

pestas, cujus transitum expectabam, me retardavit: sicut heri te remorabatur pluvia. V. Jamne desæviit? H. Desæviit quidem, sed ab oriente rursus surgunt nubes atræ, pluviam minantes. V. Imò fortasse imbrem aut nimbium. H. Expectemus, quid serus vesper sit advecturus. V. Inprimis si suborta fuerit procella.

V. De merenda.

V. Hodie non accipies merendam, Hermanne! H. Quid commisi, aut intermisi, cur habear indignus merenda? V. Intermisisti diligentiam in schola. H. Quid hoc ad merendam (pertinet?) V. Permultum: nam merenda nomen habet a merendo, nec datur, nisi bene merentibus, aut bene meritis. H. Argute philosopharis, sed in damnum meum. V. Quilibet fortunæ suæ faber.

VI. De Equis.

H. Conscendamus hunc equum, Valentine! V. Difficilis est ascensu, immo ferit calcitrando. H. Nos non feriet. V. Comperies. Certe enim hic rursus est audax, sternax, & admodum effrenis, qui sessorem suum facile excutit. H. Adducam habenas, quas alii remittunt. V. Ne admittit quidem habenas, sed eas detrectat. H. Mitamus ergo equos. V. Bene mones. Quid enim nobis est rei aut commercii cum equis, qui sumus studiosi litterarum?

VII. De Canibus.

V. Cave, cave, Hermanne! H. Quidnam? V. Canem,

Canem, & quidem catenarium, ad fores. H. Quis eum in me immittet? V. Ille se ipsum. H. Non credo, eum esse rabiosum, non enim latrat. V. Est tamen mordax. H. Projiciam illi lapidem, in eum sauiat. V. Noli eum irritare. H. Abeamus hinc. V. Quorsum? H. Unde venimus. V. Expecta parumper. H. Non est tempus expectandi, sed properandi, quia vespera ingruit.

VIII. De Morbo.

V. Cur frater tuus hodie non erat in schola? H. Laborat morbo. V. Quonam? fortasse pigritia. H. Minime, sed febris. V. Ego heri etiam æger eram capite, quod mihi dolebat, & tamen scholam frequentabam. H. Ego vero sæpe laboro pedibus, qui recusant ire in scholam. V. Sed eunt tamen? H. Omnino eunt. Nam timor virgæ etiam invitos pedes currere cogit. V. Faxit Deus, ut nobis sit mens sana in corpore sano.

IX. De voce & risu.

V. Quid clamas, Hermanne? H. Non clamo, sed tantum clara voce loquor. V. Vox tua non solum clara, sed etiam clamorosa est. quæ hic tantum submissa esse debebat, ne somno excitetur Fridericus, qui ægrotat. H. Ubi decumbit? V. In proximo cubiculo. H. Remittam vocem, non intendam amplius. V. Abstineamus etiam a risu. H. Omnino, ita decet puerum. V. Subridere, & quidem tempestive, humanum est,

sed eachinum tollere, & risu concuti, seu effu-
se ridere, decet neminem, nedum ingenuos pue-
ros. H. Cavebimus igitur, ne quid temere ver-
tamus in risum, aut alios irrideamus, probe me-
mores versus illius norissimi :

Per risum multum debes cognoscere stultum.

X. De quatuor conjugationibus.

H. Recitasti hodie conjugationes in schola?
V. Recitavi, sed tantum primam *amo*, & ultimam
audio. H. Ordo conjugationum non est conve-
niens scholæ seu disciplinæ : saltem disciplina
conjugationes rectius, quam Grammatica, or-
dinat. V. Quomodo ergo? H. Initium facit ab
audio, certe tamen post *amo* statim collocat *au-
dio*. V. Quamobrem? seu quo sensu? H. Ante
omnia oportet *audire* puerum, quid præceptor
doceat & moneat; deinde *amare* ea, quæ audit
& velle morem gerere ac proficere: aut, si ma-
vis, primum amet sapientiam & studia: amor
vero exacuat sensum attente audiendi. V. Quid
postea? H. Statim legendum frequenter, & di-
scendum libenter. V. Sic *lego* retinet locum ter-
tium. H. Retinet omnino, sed *doceo* suo loco mo-
vetur, & quartum accipit, seu ultimum. V.
Quæ subest ratio? H. Id postulat natura disci-
plinæ. Nemo enim recte *docere* potest alios, nisi
antea diu multumque *audiverit* attente, *amaverit*
impense, & *legerit*, seu didicerit quam diligen-
tissime litterarum studia. V. Bene philosopha-
ris in ipsa Grammatica. N. Cur vero quatuor
conju-

conjugationibus præmitatur *sum*? V. Quia esse
seu existeret debet in rerum natura, qui vult au-
dire, amare, legere, docere.

DECURIA

OCTAVA.

DE REBUS VARIIS.

ARNOLDUS & NICOLAUS.

I. De Via.

A. Quo tendis? Nicolae! N. Recta in hortum
Friderici. A. Hæc via eo non fert, sed ista
satis tria, etsi plaustris invia. N. Lutosâ illa &
acclivis, nec lapidibus strata? A. Progredere mo-
do alacriter, mox erit declivis, arida & satis ju-
cunda. N. Non videtur vero esse compendiaria.
A. Est sane, nisi quæsieris diverticula: hoc est,
nisi ab eadem ad dextram vel ad sinistram desce-
deris. N. Persequar hunc callem sine errore, grâ-
dumque accelerabo.

II. De alauda & luscinia.

A. Audivi heri alaudam, veris nunciam. N.
Nonne etiam lusciniam? A. Nondum: hæc enim
non veris, sed æstatis est prænuncia. N. Utra
vero canit suavius? A. Luscinia: insignis ta-
men est etiam vocis seu cantus præstantia in
alauda.

alauda. N. Omnino, ideoque nomen habet à laude Laudat enim Dominum, creatorem suum. A. Scita est hæc nominis ratio. N. Nos vero inde discamus, multo magis Deum laudare. A. Id omnino æquum est. Dedit enim nobis vocem humanam & articulatam. N. Interea vero gaudeo, appropinquare tempus, quo possimus avium nidos investigare.

III. De apibus.

A. Quid edis, Nicolae? N. Panem melle illitum pro butyro. A. Quomodo sapit? N. Dulcissime. A. Quisnam conficit mel? N. Apis. non autem una, sed plures. A. Unde illud conficiunt? N. E florum succis. A. Admiranda certe est natura apum. N. Immo admirandum sane artificium est in mellificio. Dicuntur etiam ducere examina. A. Sicut nos in schola nostra? N. Minime, sed novam progeniem emittunt. A. Quid præterea observas in apibus? N. Per multa, sed nunc sufficiet, duo adhuc meminisse. A. Dic quæso. N. Habent aculeum, cujus emissionem nocere possunt cuti: & formant ceras tenaces. A. Age! simus cera tractabiliore.

IV. De Ingenio.

A. Salve, Nicolae ingeniose. N. Cur me vocas ingeniosum? A. Quia es ingenio acuto (*præditus*.) N. Ego sane nullum mentis acumen in me deprehendo. A. Sufficit, alios id deprehendere. N. Nec tuum ingenium est tardum ac obrusum. A. Falleris, Nicolae. Non enim habeo ingenium

in

in promptu, ut cogitando facile possim quidvis assequi. N. Certe tamen iudicium tibi non deest. A. Unde hoc colligis? N. Quod non cares iudicandi solertia. A. Crede mihi, Nicolae! si quod verum est, fatear, neuter nostrum habet, cur se efferat. N. Facile tibi assentior. A. Ergo nos de nobis sentiamus demisse.

V. De Mendacio.

N. Cur heri non fuisti in schola Arnolde? A. Carebam calceis. N. Mentiris, nam vidi te ambulantem in foro. A. Rogo te etiam atque etiam, ne dicas praeceptori. N. Ergo mentituses. A. Fateor, modo praeceptor non resciat. N. Deus tamen novit. A. Ille me non cadet virga. N. Gravissime erras: noli irritare ad vindictam Deum, severum iudicem, cuius virga peccatoribus aliquando erit intolerabilis. A. Etiam mendacibus? N. Omnino. Nam imitantur diabolum, spiritum mendacissimum. A. Non mentiar posthac. N. Faxit Deus, ut serves promissa.

VI. VII. De furto & mendacio.

N. Ubi, & a quo, accepisti istum anulum, Arnolde? A. Inveni eum in platea. N. Quando? A. Nudius tertius, cum venirem a templo. N. Sed ego illum adhuc heri vidi in digito amictus tuae, Sabinæ. A. Illa eum fortasse amisit. N. Mendacem oportet esse memorem. A. Cur me vocas mendacem? N. Non solum es mendax, sed etiam fur. A. Quid abstuli? N. Annulum. A. Id vix probabis. N. Jam satis probavi: Imo

tu ipse probasti, seu confessus es. *A.* Quibus verbis? Credisne, me annulum heri vidisse hærentem in digito amitæ tuæ? *A.* Id non negabo. Quando vero tu eum invenisti in platea? *A.* Ante tres dies. *N.* Ecce mendacem sui immemorem, qui invenire potest, antequam aliquid amisum est. *A.* Fateor furtum & mendacium. *N.* Sane pudeat te utriusque, inprimis mendacii, quod turpissime a te iteratum est. *A.* Crede mihi, non solum facti me pudet, sed etiam poenitet atque piget. *N.* Utinam serio!

VIII. De ira & odio.

N. Cur irasceris? Arnolde! *A.* Titius me fuste percussit. *N.* Putabam, Titium esse amicum tuum. *A.* Ex amico factus est inimicus, odio dignus. *N.* Erras, Arnolde! nam debemus etiam hostes nostros diligere. *A.* Sed illi nos non diligunt. *N.* Nec nos Deum amavimus; & ille tamen nos amat impense, ut ipsum redamemus, & simul amore complectamur inimicos nostros. *A.* Bene mones, ignoscam Titio, ipsumque amabo.

IX. De animo ingrato.

A. Unde accepisti novum istum librum? Nicolae! *N.* Ab avunculo meo. *A.* Num ipsi gratias egisti? *N.* Oblitus sum, nec opus fuit gratiarum actione. Non enim postulavit eam avunculus. *A.* O ingratum hominem, qui non vult grarias agere, nisi exactas! Fuitne tibi gratus liber? *N.* Fuit omnino, & adhuc est. *A.* Vi-
de

de impudentiam tuam : liber est *gratus* tibi, tu vero es *ingratus* erga ejus datorem. *N.* Agnosco errorem ac vitum meum. *A.* Sed ita illud agnosce, ut emendetur.

X. De maledicentia.

A. Cur tam tristis incedit Valentinus? *N.* Luit poenam linguæ. *A.* Qualem habet linguam? *N.* Maledicam, qua conviciatus est fratrem suum. *A.* Quomodo? *N.* Vocavit eum asinum & hominem nequam reliqua convicia taceo. *A.* Fortasse par pari retulit maledictis laceffitus a fratre. *N.* Minime; frater ejus neminem solet incessere reprobris. Neque si illum incessisset, id ipsum excusaret. Nam maledictis & malefactis par pari referre, Christiana lege vetitum est.

DECURIA NONA. DE COENA.

CHRISTIANUS & POLYCARPUS.

I. De instruenda mensa.

C. Sterne mensam, Polycarpe! eamque rebus necessariis instrue. *P.* Jam factum est: sed mappulæ manuales sunt immundæ; nec satis conveniunt recenti seu mundiori mappæ quam mihi

mihi mater suppeditavit e cista. C. Hæc cura esto matris: modo mundi sint orbes, nec negligatur appositio panis, salini ac proculorum. P. Omnia parata sunt. C. Cura ut apponantur cibi. P. Ecce, jam affert famulus fercula. C. Mallem ipse esse dapifer.

II De ciborum varietate.

C. Qualis est hic cibus? videtur esse crudus. P. Erras, est coctus, seu elixus. C. Ego mallem assum edere. P. Quidni & frixum? scilicet pro palato tuo delicato, quod vel sola pulve contentum esse debebat. C. Nectantum mihi est fastidium cibi vilioris, quantum mihi tribuis: non recuso tamen carnem grati succi ac saporis, imprimis recentem ac jurulentam. P. Cur non etiam fumo induratum, aut muria conditum? C. Quia confectum est difficilior, & parum habet nutrimenti.

III. De siti ac potu.

C. Fauces meæ jam arent siti. P. Igitur eas riga. C. Nemo est, qui mihi potum ministrer. P. Esto tibi ipsi minister. C. Neque adest cerevisia, nisi admodum tenuis, seu secundaria. P. Talis potus convenit pueris, & litterarum studiis: nam cerebrum haud rentat aut turbat. C. Sed acefcit. P. Mentiris: Est defæcata, bonæ notæ, ac grati saporis. C. Ergo bibam cerevisiam, tantopere laudatam. P. Ita vero, ne poculum sine respirati. ne

ratione exhaustas. Desine, desine, Christiane!
ut circumagatur seu obambulet poculum, &
nobis quoque nostra portio supersit. C. En!
capeffe.

IV. De fame & edacitate.

C. Cur tam avidè voras? P. Ucarpe! P. Ve-
hementer esurio: *fames vero optimum est condi-*
mentum. C. Si esuris: ede: nec vora distentis
buccis, ita, ut plenos ac denibus non comminu-
tos bolos deglutias, & quidem seposito pane,
nec tantum cibi in osingere. P. Sed sapit egre-
gie. C. Ergo sedit saporem paulatim; nec te
obruet nimia ingurgitatione cibi. P. Morem tibi
geram. C. Vide, quam scæde te inquinaveris, ci-
bis ex ore defluentibus. P. Abstergam me map-
pula. C. *Gestus edendi mundus esto atque modestus!*

V. De Sale.

C. Porrige salinum. Polycarpe! nam hic ci-
bus insulfus est, seu caret sale. P. Mihi quidem
videtur esse præulfus, seu nimium habere salis.
C. Certe subulfus est, seu aliquantulum habet
salis. P. Edamus, desinentes disputare de sale,
ne quis utrumque nostrum jure vocet insulfum,
hoc est, sapientiæ sale haud conditum.

VI. De Ovis.

C. Quænam gallina peperit hæc ova? P. No-
stra. C. Illane, quam heri vidimus ovis incuban-
tem?

tem? P. Alia est: illi vero ova ideo supposita sunt, ut inde pullos excludat. C. Hoc videre gestio. P. Videbis, sed nunc vide, ne fracta testa, diffluat ovi albumen cum vitello. C. Tu vero disce, quid significet proverbium: *Mali corvi, malam ovum*. P. Ejus sensum tibi explicabo, si mihi exposueris aliud de ovo proverbium, nempe: *Ab ovo usque ad mala*. C. Hoc est, a cœnæ principio usque ad finem. Nam apud veteres ova incipiebant cœnam, poma claudebant. P. Certe, *non ovum ovo est similius*, quam tu bono interpreti, qui ne quidem eges prioris adagii explicatione.

VII. De adventu convivæ.

P. Accede, Christiane! nondum enim te absente omnia sunt peresa. C. Ago gratias pro invitatione vestra: fames me non exstimulat. P. Nihilominus adjunge te nobis convivam, & ede, quantum libet. C. Salvete, fautores & amici! bene sit vobis cœnantibus! P. Et tibi nobiscum cœnatura! occupa hanc sellam, aut istam, ubi tibi erit sedes commodior. C. Gratulor mihi de vestra societate & amicitia. P. Et tu nobis es gratus, sed longe eris gravior, si expedito cultro, ipse manum admovebis patinæ. C. Facio, quod imperatis. P. Non imperamus, sed rogamus amicum amice.

VIII. De Cancris.

C. Restant cancri, Polycarpe! P. Sed hi tibi non

non sunt destinati. C. Ex parte tamen. P. Credo equidem, si sciveris proverbialia quædam de cancri. C. In morem octipedis procedunt omnia cancri. P. Video, te esse doctum, immo doctiorem Sempronio. C. Certe cancrum lepori comparas. P. Immo tu doctissimus es. C. Quid jocularis? & cur Sempronium vocas leporem, me autem cancrum? P. Absit ista interpretatio, a re ipsa & a mente mea aliena. C. Sed edamus, nam loquentibus nobis dati sunt cancri. P. Aut potius cancelli.

IX. De philosophica temporum interpretatione.

C. Quid didicisti hodie in Schola? Polycarpe! P. Quid hoc ad coenam (pertinet?) C. Permultum. Omnis enim cœna condienda est aliqua lectionum repetitione. P. Didici ex Conjugatione prima *Præsens*, *Imperfectum*, *Perfectum*, *Plusquamperfectum* & *Futurum*. C. Videris mihi simul philosophari, Polycarpe. P. Egone? vix credo. C. Sin minus, me audi philosophantem. P. En ausculto arrectis auribus attentaque mente. C. Omne *Præsens* in hac vita est *Imperfectum*, nonne? P. Nondum satis percipio mentem tuam, sed perge philosophari. C. Omne *Perfectum* & *Plusquamperfectum* est *Futurum* scilicet in vita æterna. P. Nunc te intelligo, Philosophe! C. Quæ cum ita sint, *præsentibus*, quæ *imperfecta* sunt, ita utamur, ut frui possimus *perfectis* & *plusquamperfectis*, certo *futuris*.

X. De

X. De mensa secunda seu bellariis.

P. Surgamus, Christiane! & adstemus mensæ, mox cibos seposituri. C. Expecta parumper, mi Polycarpe! Nam video in proximo conclavi instrui patinam uvis, pomis & nucibus, P. Sed non pro nobis. C. Quidni? novi animum matris, quæ nobis raro aliquid negare solet. P. Ergo roga illam demisse. C. Expectandum erit adhuc paulisper donec appositum fuerit egregium illud ferculum.

DECURIA

DECIMA.

DE REBUS COENAM INSEQUENTIBUS.

PÆDAGOGUS & DISCIPULUS TIMOTHEUS.

I. De Cantione.

P. Porrige mihi librum cantionum, Timothee. T. Quem in usum? P. Ut canamus. Solemus enim precibus, quibus Deo gratias agimus pro cœna, addere unam atque alteram cantionem. T. Ego nondum possum canere. P. Discendum est, quod nescimus. Ipsi etiam angeli

li suo exemplo nobis Musicam commendarunt.
 T. Quando? & quomodo? P. Nonne audivisti angelicam illam cantilenam: *Gloria in excelsis DEO!* &c. T. Probe novi: Et operam dabo Musicæ, quia tanta ejus est præstantia.

II. De lectione sacri codicis.

P. Ubi substitimus heri in lectione Scripturæ Sacræ? T. In fine capitis quarti sancti Evangelistæ Johannis. P. Vix credideram, te notasse caput. T. Non solum illud notavi, sed etiam plurima, quæ circa illud monuisti, adhuc memini. P. Pergemus nunc ad caput sequens legendum cum epitome præmissa. T. Totumne legam? P. Omnino, & quidem voce clara, tarda atque distincta, mente vero attenta ac pia.

III. De decambulatione.

P. Tempus est eundi cubitum, Timothée. T. Vix audita est hora octava. P. Erras, mox audietur nona. T. Permitte quæso, ut utque ad nonam hic maneam apud matrem. P. Ut discursare possis. Novi enim morem tuum petulantem. T. Absit a me omnis petulantia. Tantum meabo paululum, memor sententiæ, quam nuper in schola discebamus. P. Cujus? T. *Post cœnam stabis, aut passus mille meabis.* P. Sufficere possunt ducenti.

IV. De

IV. De Repetitione.

P. Para te ad repetitionem, Timothée, T. Putabam, eam hodie omissum iri. P. Nunquam omittenda est. Nam crebra repetitio est quasi anima studiorum T. Nec eam detrectabo; non poterunt tamen omnia repeti. P. Neque hoc postulo: sufficiat, recognovisse singula summatim. T. Non invenies me imparatum. P. Id experiar.

V. Aliud ejusdem argumenti.

P. Quid retinuisti e lectione sacra? T. Inter alia recordor e Matthæi capite tertio illa Johannis Baptistæ verba: *Agite, inquentis, pœnitentiam: nam appropinquavit regnum cœlorum.* P. Quomodo interpretatus sum vocem pœnitentiæ? T. De mentis nostræ immutatione ac renovatione. P. Efficiat Deus, ut experiaris re ipsa, quod nuda tenes notitia. Quid e Grammatica & aliis lectionibus observasti? T. Per multa, crede mihi. P. Non sum tam credulus, antequam probaveris diligentiam tuam. T. Eam tibi satis probabo &c.

VI. De precibus vespertinis.

P. Posthac repetemus plura: repetitioni succedant preces. T. Quales? num ex præscriptis formulis, aut ex libero animi affectu, verbis citra præmeditationem conceptis seu prolatis?

Uti-

Utinam orare posses modo posteriori, qui sæpe melior est priore. T. Rursus tentabo, sicut alias facere consuevi. P. Consuevisti, quod non omnino approbo. Non enim consuetudo, sed intimus animi affectus nos ad preces impellere debet.

VII. De exuendis vestibus.

P. Sine mora exue vestes, Timothée. T. Exuam, ut præcipis, & quidem celeriter, urgente scilicet mino. P. Esto autem simul memor dicti paulini: *Exuite veterem hominem*. T. Sed quid est homo vetus? P. Homo vetus, ut sæpe audivisti, est naturæ nostræ labes, a prima nostra origine attracta: hæc magis magisque exuenda est. T. Sed quomodo, imprimis sub noctem? P. Ita, ut in conscientiæ examine exploremus præteriti diei acta, variaque nostra errata, & ea serio emendemus. T. Quomodo autem fit ea emendatio? P. Vera agnitione, demissa deprecatione, & serio proposito emendationis.

VIII. De Lecto.

P. Confer te in lectum, tanquam ad lethum. T. Quid significat lethum? P. Mortem. T. Putasne, me hac nocte morituum esse? P. Non quidem hoc arbitror, fieri tamen potest, ut moriaris. Ego potius dormiam. P. Sed somnus est mortis imago. T. Fortasse respicis versiculum: *Stulte! quid est somnus gelidæ nisi mortis imago?* P.
Hunc

Hunc ipse respice, mortemque ac sepulchrum tuum meditare: Sic non eris stultus, sed sapiens,

IX. De Nocte.

P. Composuistine te ad somnum? T. Utiq̃ue me composui. P. Ergo obdormisce: mox exstinguetur candela. T. Sic atra nox me terrebit. P. Non habebimus noctem obscuram, sed sublustrem. T. Ego nihilominus terrear. P. Cape somnum, oculis, & timorem DEI, fiducia plenum, animo; sic nullus erit terror tenebrarum.

X. De custodia Angelorum.

P. Quid te adhuc jactas in lecto, inquiete? T. Fortasse ducam totam hanc noctem insomnem. P. Qua de causa? T. Metus mihi adimit somnum. P. Quid metuis? T. Tenebras, imomures & spectra. P. Omitte istum metum, nam vanus est: habes sanctos angelos custodes. T. Ubi sunt? eos non video. P. Nec possunt videri, tamen revera adsunt, & pro nobis agunt excubias. T. Experiar, an capere possim somnum. P. Quiesce placide. T. Ego tibi quoque, carissime Præceptor, placidam noctem apprecor.

um
la-

que
ex-
bit,
sub-
Ca-
idu-
te-

l.

ete ?
om-
imit
mo
ham
T.
idea
ex-
um,
e,

